CAP. VI.

motu in circulo ampliſſimo (quem orbem magnum appellat) tranſlata, eos, qui terram credunt quieſcere, putare Planetas & Solem in contrarium tranſferri, & Sole inter terram & Planetam poſito componi in viſione motus terræ & Planetæ, unde videatur Planeta velox, terra vero inter Solem & Planetam poſita videri relinqui Planetam & ſic retrocedere, eo quod terra velocior ſit Planeta.

TYCHO BRAHE ſimile quid habet cum Latinis, non Solem quidem attrahere Planetas per aſpectum, ſed Planetas adulari Soli. niti enim, ut illum (quamvis euntem) in medio fere ſuarum circuitionum retineant, ipſos vero genuinam viam circa Solem (quaſi eſſet immobilis) ordinare. Qua ratione quilibet Planeta in aura ætherea præter viam propriam ipſam etiam Solis viam conficit, efficiturque ex motu utroque compoſitus ad unguem idem qui apud Ptolemæum (ſpiralis nempe) ut cap. 1. dictum. Et Aſtronomice Ptolemæus epicyclos in eccentricis ſtatuit, BRAHEVS eccentricos in epicyclo uno, qui eſt ipſe Solis orbis.

EGO in ſequentibus demonſtrationibus omnes tres authorum formas conjungam. Nam & TYCHO me hoc quandoque ſuadente id ſe ultro vel me tacente facturum fuiſſe reſpondit (feciſſetque ſi ſupervixiſſet), & moriens a me quem in Copernici ſententia eſſe ſciebat petiit uti in ſua hypotheſi omnia demonſtrarem.

PORRO trium harum formarum perfectiſſimam æquipollentiam Geometricam & jam ſtatim & per totum librum aliud licet agentes demonſtrabimus. In præſens perſequendum eſt inſtitutum & demonſtrandum, omnino magnum aliquid in ſecunda inæqualitate peccari, ſi pro apparenti motu Solis medius ſuſceptus fuerit, cum quo Planeta in principio hujus ſecundæ inæqualitatis opponatur.

Incipiam a COPERNICANA ſententia. *Centro β ſcribatur eccentricus terræ γ υ, qualem Copernicus Ptolemæo fidens eſt imaginatus, ut in eo ſit γ β linea apſidum, κ locus Solis immobilis, & β punctum æqualitatis motus telluris.*

Ducatur per β ipſi β γ perpendicularis υ β σ ſecans circumferentiam in punctis υ σ· & connectantur υ σ cum κ.

COPERNICVS igitur PTOLEMAICOS numeros in ſuam formam hypotheſeos tralaturus Planetarum eccentricitates computavit non a κ Sole ſed a β centro æſtimato æqualitatis curſus terræ. *Eductis enim lineis ex β, utpote β γ, β υ, β σ, quoties Planeta & terra in has incidunt, Planeta ſupponebatur exuiſſe ſecundam inæqualitatem, quæ ei accidebat ratione motus terræ, ut ſi terra in υ verſante Planeta inveniretur in linea β υ producta.*

Porro

CAP. VI.



Porro hac ratione Copernicus viſum per fictionem in puncto β collocavit. *Dummodo namque Planeta ſit in linea β υ, nihil intereſt ad deſignandum ejus locum ſub Fixis, ſive ex σ aſpiciatur ſive ex β. Eadem de lineis β γ, β σ, & infinitis aliis in β concurrentibus, vere dici poſſunt.* Ergo punctum β eſt concurſus linearum viſoriarum omnium, & ſic commune punctum fictum viſionum omnium. revera autem viſio hoc eſt tellus domicilium noſtrum in circuli σ γ υ aliis atque aliis punctis invenitur diverſis temporibus.

Cum igitur exiſtimaſſet Copernicus liberari Planetam inæqualitate ſecunda, quoties terra & Planeta invenirentur in una aliqua linea ex β exeunte, Planetæ loca viſa ſub Fixis ad ea momenta oppoſitionum Planetæ cum medio loco Solis inſtrumentis Mathematicis indagavit. Invento enim loco Planetæ in aliqua noctium circa oppoſitionem Planetæ cum Sole, ſi tunc medius Solis locus per calculum fuit inventus in puncto præciſe oppoſito, is fuit articulus temporis: ſin ea nocte adhuc diſtarent nonnihil, collatione duarum vel plurium noctium motuumque MARTIS & terræ diurnorum intercedentium venatus eſt hunc ipſum articulum temporis, & punctum ſeu locum quem teneret eo articulo Planeta. Vbi hoc factum toties, & in tot locis zodiaci, quot ſibi putavit eſſe neceſſaria (ut ſi factum fuiſſet in β γ, β υ, β σ) jam per